



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opera

Agobardus <Lugdunensis>

Parisiis, 1666

Reverendo & eruditissimo Viro Stephano Balvzio Petr. Franciscvs
Chiffletivs Salvtem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14678

Reverendo & eruditissimo Viro

STEPHANO BALVZIO

PETR. FRANCISCVS CHIFFLETIVS

SALVTE M.

GRATISSIMÆ mihi acciderunt (Vir eruditissime) litteræ tuæ, xvi. Kal. Aprilis ad me nuper datæ. Mitto igitur quod à me petis Agobardi opusculum adversus Amalarium: quod olim ex codice MS. Bonævallis, Vienneſis pagi, partim manu mea descripsi, partim ab alio descriptum ipse cum autographo contuli, ac recensui. An plura in hoc argumentum Agobardus scripserit, non liquet; plura certè in antiquis non reperi. De auctoris stylo ac genio tuum iudicium esto. Ego quidem ejus censuram haud iniquam existimaverim, si ille ab acrioribus aliquot punctiunculis temperasset, & veteri more calamum tinxisset in Christi sanguine, Agni immaculati, verè mitis & humilis corde. Vale, & me amare perge. Divione, viii. Kal. Aprilis, M. DC. LXV.

Opusculum Agobardi de privilegio
& jure sacerdotij, quod habetur in Bibl.
Patrum pag. 1223. in MS. quem vidi co-
dice inscribitur, *Epistola Agobardi Epif-
copi Lugdunensis, de sacerdotij dignitate,
ad Barnardum Viennensem Archiepisco-
pum. Barnardo Agobardus, &c.* Sic & in
Ecclesia Viennensi, & in Ecclesiis Ro-
manensi & Ambroniacensi quas funda-
vit, constanter scribitur *Barnardus*, non
autem *Bernardus*.

~~~~~  
*CLARISS. ERUDITISSIMOQUE*  
*viro PET. FRANCISCO CHIFFLETIO*  
*Soc. IESV Presbytero STEPHANVS*  
*BALVZIVS Tutelensis S. P. D.*

**A**CCEPI his festis Paschalibus  
suavissimas & humanissimas lite-  
ras tuas, Vir eruditissime, datas Divione  
VIII. Kal. Aprilis, & in eodem fascicu-  
lo, librum Agobardi Archiepiscopi Lug-  
dunensis contra quatuor libros Amala-  
rij Abbatis, quem ad me mitti postula-  
veram prioribus meis ad te literis. Ita-  
que nihil mihi reliquum est, in hac qui-  
dem parte, quam ut gratias tibi agam  
pro hoc beneficio tam lubenter ac dili-